

habeat. Huiusmodi igitur coniunctionis cupidus, locabit gradum ascendentis natiuitatis, uel alterius principij, ad contactum horizontis orientalis, & adaptabit circuli positionis, in instrumento, postea globo ita immobili cum gradu ascendentis praedicto in parte horizontis orientali perdurante, stellas mediante eodem circulo positionis circumquaque in globo inuestigabit, quascunq; enim sub eodem circulo positionis inuenit politas, tali modo coniunctas pronuntiabit.

Oblatis duabus stellis, aut duobus punctis caeli, possint ne modo praedicto coniungi infra diem unum naturalem perscrutari, earundemq; coitui certam horam assignare.

CAPVT LVII.



Primo nota loca duarum stellarum uel puncta caeli proposita in globo eo antea locato ad eleuationem poli tuae regionis; deinde moue eundem cum circulo positionis hinc inde, donec duae stellae propositae directe cadant sub lineam fiduciae circuli positionis, tunc tene globum fixe accipiendo sub armilla meridiana ascensionem rectam medij caeli, quam serua ad partem, deinde pone locum Solis tui diei propositi sub armilla meridiana, accipiendo item ascensionem eius rectam, quam etiam serua, deinde ascensione recta Solis dempta ex ascensione recta medij caeli, adiecto integro circulo, si opus fuerit, relinquatur tibi elongatio Solis a linea meridiana, quam si per 15. partiaris, prouenient horae aequales post meridiem transactae, usq; ad tempus huius coniunctionis. Exempli gratia: Sit quaedam stella in 2. gradu Virginis, cum latitudine meridionali trium graduum, alia autem in fine 4. gradus Virginis, cum latitudine septentrionali unius gradus, Sol uero 7. gradum Cancris obtineat, uolo huiusmodi coniunctionis earum horam explorare in regione habente latitudinem $49\frac{1}{2}$. graduum, globum ergo ad hanc eleuationem polarem ordinatum, uolo cum circulo positionis, donec stellae propositae sub eodem circulo positionis iaceant, coeq; sic stante, accipio ascensionem rectam medij caeli, ubi gradus aequatoris cum armilla meridiana intersectionem faciant, & sunt gradus 83. fere. Itēposito etiā loco Solis sub armilla meridiana, inuenio ascensionem rectam eius 98. gradus fere: subtracta ergo ascensione recta loci Solis ab ascensione recta medij caeli, restat elongatio Solis a meridiano graduum 345. qua per 15. diuisa, exeunt horae 23. fere post meridiem diei propositi peractae, quo tempore uidelicet huiusmodi coniunctionem possibilem fore pronuncio.

Hoc idem etiam per indicem horarium prompte numerare.

CAPVT LVIII.



Ordinabis gradum Solis in ecliptica notatum tui propositi subtus armillam meridianam, ac in tali dispositione indicem horarium ad 12. meridiei horam; deinde circumagito globum hinc & hinc cum circulo positionis, quoad eadem stellae, quarum coniunctionis horam quaeris, sub eundem circulum positionis directe ceciderint, tunc index horarius ostendet tibi horam coniunctionis illarum stellarum, uel partium caeli. Exemplum: Volo horam coniunctionis stellarum duarum fixarum primae magnitudinis, quarum una Spica Virginis sit, altera Arcturus Bootis, Sole existente in 3. gradu Sagittarij, cuius loci Solis ascensio recta est 241. fere graduum, ascensio recta medij